

EPISTULA DE SU-LO

Epistularum series a Magistro Phan-Hoang scripta

Ad 'Magistrorum Ludi' Discipulos Magister dicavit.

Exemplar ad Pacis Magistros, Viet-Chi Post, Vo-Viet Journal misit

Kal. Dec. a. 2009

DE INTERIORIS ROBORIS MANTRA AD RESPIRANDI ARTEM DICATO

In Pisano conventu mense Octobri quyen Ky-Mon didicistis. In hac forma motus XI (cfr. p. LXI libri SU-LO, KY-MON QUYEN) valet: “Librum Bat-Nha quaerere”. Si vis bene in hoc exerceri, tua crura implete et corpus demitte, dum aera spiritu vehementer ducis. Provectus discipulus in hac statione mansurus est minutum vel longius. Haec ad usum discipulorum *Hinh* et *Thuan* graduum dico. Nunc quid iste motus XI significet – Vietnamitice *Y* ‘significare’ valet- dicturus sum.

Huius motus carmen dicit: “*Librum Bat-Nha quaerere*”.

Clarus liber Bat-Nha est, Prajnaparamita appellatus, i.e. Cordis Sutra. Ne cucurreris, autem ad proximam tabernam librariam ut eum emas! “Quaerere” in formae KY-MON carmine declarat tibi nitendum esse ut veram naturam rerum consequaris, i. e. Cordis Sutra.

Quid est sutra? Hoc verbum ex antiquorum Indorum sermone venit. Buddhista et Induista Doctrinae id sumpserunt. Induista doctrina autem ita brevitaria quae ad verbum ediscenda erant, inter 600 et 200 a. C. n. scripta, indicat; Buddhista doctrina, autem, isto verbo narrationem vel librum de Buddhae sermonibus significat. Cordi Sutra parvus liber est, CCLX verbis compositus, ut vulgo dicitur (ego autem verba numeravi et inveni ea multo pauciora esse, sed ista res ab epistula abhorret). Nunc vim, nunc naturam Cordis Sutra invenire debemus. Id copiosi sutra, quod Prajnaparamita inscribitur –i. e. De Sapientiae Perfectione-breviarium est. Studiosi plerumque dicunt Cordis Sutra veram naturam in ultimo capite esse, i. e. in mantra “*gate gate paragate parasamgate bodhi svaha*”. Mantra carmen sacrum, quod fideles repetunt cum precibus Buddha invocant, cum meditantur vel cum fascinant, est. Syllaba quoque vel pars scripturae est, quae arcanam virtutem habet. Hoc mantra pervagatum est. Vietnamitice ita sonat:

“Yet-de yet-de bala yet-de bala tang yet-de bo-de sa-va-ha”

« Perge, perge, perge porro, perge profecto porro, ut universalem illuminationem assequaris »

Hoc mantra percommune et potentissimum est. Cotidie omnibus locis permulti homines id repetunt. Nos autem huius mantra faciem religiosam excludemus, ut intimam doctrinam inveniamus. Hoc mantra, mea sententia, contrahi potest: unum verbum ergo dicemus: “PERGE”! Ne hoc verbum dixeris ut in sententia “*ad forum pergis*”. Magna voce “*PERGE*” dic. Hoc verbum terrae motus vim habeas, ut homines adiuvet et eorum animos mutet ut Illuminationem assequantur. Hac animi mente hoc praeclarum mantra cotidie itero. Quod coniungere cum nostra Respirandi Arte, Quinque Vocum exercitatione, Dynamica Meditatione, cotidiana Corporis et Mentis exercitatione possumus. Si tali modo cotidie te exercebis, Laetitiam, Animi Vim, Bonam Valetudinem, Verecundiam consequeris. Nam germanus magister novum iter a trito diiudicat. Ne sederis dum hoc mantra renovas. Nam id deambulare, currere, canere, respirare vult!

Die Sabbato 28, m. Nov., a. 2009, Viet-chi Circulus urbis Ottawa, sollicitatus ut pecuniam colligeret, ut hominibus inhabilibus auxilio esset, in Athenaei theatro duas actiones dedit. XVIII circuli in publicum prodiverunt, diversi inter se variique, qui bene saltaverunt. CCC spectatores orientalem, novam, popularem saltationes spectaverunt et VIETTAICHI. Qui nostram actionem probaverunt plaudiveruntque. Ego THAP BAT DIEU/ 18 Aves egi, Tue-Tinh Loc Mai respiratum “Yet-De” et viam privatae exercitationis ostendit; duobus baculis, dualitatem quoque illustravit. Bonas imagines photographicas capere non facile fuit, cum lumen tenue esset et actores citi moverentur. Sed tamen Khiem-Long Karen, quam optime potuit, imagines cepit. Quas volumus vobis ostendere in VIET-CHI POST n. 43, in forma PowerPoint Show .

Tempus anni ad vota datum proximum est. Ut vobis vestraeque familiae laetitia et bona valetudo sint vota facio.

«Yet-de yet-de bala yet-de bala tang yet-de bo-de sa-va-ha ».

Phan-Hoang